Romanorum Rudolffus venit ad Bohemiam cum magno exercitu; ibi omnia secundum velle suum ordinavit.

Eodem anno Philippus rex Francie dedit cottidie specialem elemosinam duobus cecis de mensa sua. Et unus illorum semper gracias egit Deo, alter vero non Deo, sed regi Francie. Hoc audiens rex ministris iussit infra prandium parari duo pastilla de carnibus equaliter bona, sed in uno posuit X florenos. Quo facto dedit ceco illi ipsum regem laudantem et alio ceco pastillum sine auro. Palpaverunt postea ambo, si quod maius fuerat, et invenerunt, quod unum plus ponderabat quam aliud. Dixit cecus cum auro ad alium, quod suum cambiret, suspicatus, quod suum non bene coctum esset, et addit sibi unum denarium, et sic cecus laudans Deum aurum percepit.

ceco laudantem

Anno Domini M°CC°LXXVII° facta est frugum habundancia, quod quatuor maldra tritici Colon-densis mensure emerentur pro una marca.

Ot. Kein ... Dir ...

Eodem anno comes Iuliacensis nimis confidens in diviciis et viribus suis et in multitudine sui exercitus, cum iam cives Aquisgrani bellis, incendiis et rapinis et variis molestiis lacessisset, tandem ausu temerario sub ficta pace eandem civitatem ingressus ab eiusdem civibus cum CCC° militibus miserabiliter occisus est. Unde quidam composuit hos versus:

Sudum passa scelum b mactavit Aquis Iuliacum,
Iamque quiris peditem captat, capit ipse quiritem.

quiritem